
THEOLOGICAE THESES
DE
MESSIAE REGNO
SUB AUGUSTISSIMIS AUSPICIIS SS. D. N.

PII SEXTI
PONT. OPT. MAX.

R. P. D. LAURENTIO PROSPERO BOTTINIO
SAC. CONSIST. ADVOCAT. ET ROM. ARCHIG. RECT. DEPUT.

ANNUENTE

A FELICE L. B. A KERSSENBROCK
DIAECESIS MONASTERIENSIS
COLLEGII GERMANICI ALUMNO
PUBLICE AD DEFENDENDUM PROPOSITAE.



ROMAE MDCCLXXXIV.
APUD ALOYSIUM PEREGO SALVIONI
TYPOGRAPH. VATICANUM IN ARCHIG. ROM.

SUPERIORUM PERMISSU.

BEATISSIME PATER



Alsarum omnium opinionum, errorumque humanorum, BEATISSIME PATER, quibus, confidens sibi mi-

serorum mortalium ſuperba imbecillitas, implicat ſaepe ſe, et a divinitus tradita religione, quae vera una est, insane aberrat; haud ſcio, an illi cumprimis perniciosissimi recte aestimantibus videri debeant, quibus Ecclesiae instituta divinitus, aut compositio, aut stabilitas, aut potestas, quocumque demum modo, sollicitatur. In caeteris enim rebus, quamvis majoribus, gravioribusque ipsis sua ſponte, quamquam periculose erratur; manet tamen brevis, atque expedita agnoscendi, repudiandique erroris via, quamdiu non jugum abjicitur Ecclesiae authoritatis; cujus momento certissimo, atque firmissimo ab inani veri specie ani-

mus ad solidam veritatem reducatur. Itaque Ecclesiam scilicet videmus in sacris litteris columnam, et firmamentum Veritatis esse appellatam; contra vero arce hac seu retinendae, seu repetendae Veritatis, deserta, aut notione ejus apud se quisquam tanquam obductis caligine quadam tenebris implicata, aversisque ab ea oculis, quo demum modo referri in viam possit, sibi ipsi relictus, hoc est arroganti suae levitati? Qua postquam a vero quod tenebat, abduci, se passus est; quanto deinceps longius auferri, atque abripi necesse erit semel a via digressum ductore autem repudiato? Quae quum ita sint, profecto et ad sanctissimae

cu-

custodiam religionis, et ad animorum sempiternam salutem tuendam permagni interest, placita, opinionesque de Ecclesia, quae novi aliquid afferant, singulari studio, curaque considerari, versari, expendi, ne quid forte invehatur tectum, quod ad Ecclesiae ipsius constitutionem, aut authoritatem apud imprudens vulgus obscurandam, debilitandamque pertinere videatur. Quo ex numero novarum opinionum quum ea ferretur, quae esset de ecclesia ex gentibus aliquando extinguenda, cui ex circumcisione ecclesia sit successura, eaque opinio haud ita multos ante annos orta, tamen patronos nacta jam latius serperet: existimavimus, quum ex

po-

polemicae Theologiae Schola, atque ex hebraicae linguae privato studio, publicam essemus exercitationem, more majorum instituturi, commodissime nos esse facturos, si hanc ipsam operam in recentis istius serpentisque opinionis examen conferremus. Mihi vero, BEATISSIME PATER, qui defendendarum de ea re publice thesium onus in me suscepissem, nihil potuit seu optatius, seu honorificentius obtingere, quam ut scholastico hoc munere sub augustissimis amplissimi sanctimique Tui nominis auspiciis fungerer. Nam ut omittam nunc causas illas communes christianae reipublicae inculcare, et innumera quoque erga nos beneficia recensere, quam-

quam ea sunt et ad Christiani animi sensum dulcissima, et ipsa sua magnitudine amplissima, jucundissimaque ad dicendum: ego in pontificio hoc Collegio studiorum decurso spatio, disciplinisque ecclesiasticis institutus, reversurus nunc jam in patriam, debeo sane in magna parte felicitatis ponere, occasionem mihi, facultatemque esse datam testandi significatione hac ipsa grati, devinctique beneficiis tuis animi, quibus hoc ipsum Collegium, hoc est, non me, meosque Collegas modo, sed ipsas late Germaniae Ecclesias tibi in omnem successionem temporum obstrinxisti. Hujus nimirum cumulatissimae copiae parandi Alumnos, qui sibi, ac

Re-

Religioni sanctissimae navent alii ex aliis perpetuam operam . Ecclesiae eaedem , Gregorium quidem XIII. authorem , reliquos autem post eum Pontifices tutores , atque patronos , Te vero , BEATISSIME PATER , conservatorem , amplificatoremque norunt , praeque se palam ferunt , ac profitentur . Quamquam longe inferiora hac magnitudine Tua sunt , tuisque meritis , BEATISSIME PATER , humana laus , et praedicatio hominum , et mortalium debitio gratiae ; quae tametsi justissima , tamen non pluris sunt , quam ii , à quibus proficiscuntur . Illa vero digna Te , et excelsissimo isto omnium quem divina Voluntate adeptus tenes , loco , qui-

bus divinae Religionis fructus utilitatis inaestimabilis continetur, Dei cultus publicus sancte et cum dignitate obeundus, salus hominum sempiterna, ecclesiasticis tam multis perfungendis muneribus ex doctrinae facultate, et cum exempli authoritate, abunde curanda: in quas tam salutares Ecclesiae curas, quot se Collegii hujus Alumni impendent, tot exstabunt sanctissimo nomine Tuo velut coronae, totidemque paternae providentiae, benignitatisque Tuae monumenta eo caducis rebus omnibus longissime pretiosiora, quod sint in conspectu immortalis Dei aeternum mansura, nullis obnoxia injuriis temporum, nullis humanarum rerum vi-

ciſ-

cissitudinibus minuenda. His me praedicationibus laetum, atque alacrem, patere, BEATISSIME PATER, ad Sanctissimos Tuos Pedes provolvi, provolutumque Apostolica dignare Benedictione.



PROPOSITIONES SELECTAE DE REGNO MESSIAE

I.

Regnum Messiae, quod est Ecclesia, visibile atque conspicuum esse oportuit.

II.

Item, probos improbosque complecti.

III.

Nec unquam defecturum, seu quoad externam Regiminis formam, seu quoad fidei veritatem.

IV.

Non perinde est de Hebraeorum Republica, tum Sacra, tum Civili, quae ita fuit divinitus instituta, ut sub Messiae adventum esset prorsus abroganda.

V.

At contra, ex quo Messiae Regnum ex Gentibus esse coepit, nunquam in Gentes esse desinet.

V I.

Ac proinde, hujus Spiritalis Regni visibilis Rector, ROMANUS PONTIFEX, nunquam desinet esse caput.

V I I.

Denique, post novissimam Antichristi vexationem, Hebraeis CHRISTI Regno accedentibos, non succedent diuturna illa, et aurea secula, quae nonnulli comminiscuntur.



I M P R I M A T U R,

Fr. Thomas Maria Mamachi Ord. Præd. S. P. Apoſt. Mag.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patr. Sacr. Palat. Apoſtol. Magiſt.

F. A. Marcucci Patriarc. Conſtantinop. ac Vicesg.

DE



DE REGNO MESSIAE.

I.



ESSIAE Regnum, idque sempiternum, et ad omne hominum genus pertinens, aperte Sacrorum librorum Auctoritas asserit. Cujus autem generis illud sit, quaenam ejus indoles, quae forma, quis scopus, qui characteres, in memoriam ante omnia breviter revocandum est, ut veritas propositionum, quas ex eodem argumento pro juvenili exercitatione selegimus, facilius intelligatur.

Itaque cum optimo consilio statuisset Deus, non sine certamine et laboribus, in societatem beatae immortalitatis homines transferre, praeposuit illis, quo melius res procederet, unum supremum Ducem, et Regem, Christum, cujus nutu, norma, exemplo,

viribus, legibus, auspiciis, universa, quae oporteret, gererentur. Qui, quamvis non armorum terrore, adinstar terrenorum Imperantium, neque humana vi atque industria, saevitiaque, aut sanguinis effusione; sed potius humilitate, patientia, mansuetudine, per Discipulos omni mundana arte et ornamento expertes, suum in omnes populos propagare imperium instituerit: voluit tamen, ut amplitudine sua, potestate, ditione, perennitate, Auctoris praestantia, finis, aeternae scilicet vitae, excellentia, rectitudine et suavitate legum, ac innumeris aliis cum corporis, tum animi bonis, in immensum cuncta humana regna superaret. Jam vero, cum Sancti Spiritus interiori potissimum afflatu, Ss. Angelorum ministerio, perque leges in cordibus descriptas, suam hanc societatem gubernet; non ideo tamen ipsius exteriorem atque conspicuam Regiminis formam ordinare praetermisit. Quippe inter homines formabatur, qui natura sua per visibilia et corporea, ad invisibilia et spiritalia quasi manu ducuntur. Praestituit ergo aspectabiles ministros et praefectos, qui congrua auctoritate, Sacra, item conspicua, tractarent, populosque sibi demandatos regerent, et instruerent. Quoniam autem nec ipsum decuisset, nec praeterea nobis expedisset, conspicua semper specie nobiscum adesse, unum hominem, vicariam sui gesturum operam imposuit, cui subinde, ut erat conditio Mortalium, et alii eadem potestate, ad finem usque Mundi, succederent, qui tantam multitudinem in officio et fide continerent: essentque tamquam centrum unitatis, quae in qualibet societate unice, aut potissimum, spectari debet. Cumque ad homines in virtute exercendos, Deus ipse consultissime sinat huic

Re-

Regno adversarios imminere : sunt quippe errores et vitia, adeoque Satanas, ejusque satellites; licebit et hic spectare veluti castra quaedam, armorum itidem apparatum, Duces, milites, centuriones, et chiliarchas. Verum alio armorum, militumve genere, et quidem longe diverso, hic utimur, ac in terrenis Regnis cernitur: Arma siquidem hujus Regni, totaque supellex, ut non semel *S.Paulus* (1) admonuit, spiritualia sunt, ad spiritualem pugnam, aeternamque vitam comparata.

Hoc igitur Regnum, quod omnia tempora et loca complectitur, quod tam late porrigitur, quam late patet orbis, et quantum secula elapsa, atque elapsura excurrunt; Regnum, quod omnes homines ad se vocat, ut rejectis ignorantiae et vitiorum tenebris, lucem veritatis aspiciant, Deoque ex toto corde inserviant: hoc Regnum, quod inter tantas vicissitudines et conversiones terrenorum Regnorum inconcussum perstat; quod, deficientibus aut vita

(1) II. ad Cor.X. v.3. etc.In car-„ ne ambulantes,non secundum car-„ nem militamus; nam arma mili-„ tiae nostrae non carnalia sunt, sed „ potentia Deo ad destructionem „ munitionum, consilia destruen-„ tes, et omnem altitudinem ex-„ tollentem se adversus scientiam „ Dei „. Et ad Eph. VI. vv. 11. etc.„ Induite vos armaturam Dei, „ ut possitis stare adversus insidias „ Diaboli. Quoniam non est (*tan-„ tum*) nobis colluctatio adversus „ carnem et sanguinem, sed ad-„ versus principes, et potestates, „ adversus mundi rectores tene-„ brarum harum, contra spiritua-„ lia nequitiae in caelestibus. Pro-„ pterea accipite armaturam Dei, „ ut possitis resistere in die ma-„ lo, et in omnibus perfecti stare. „ State ergo succincti lumbos.. „ induti loricam. .calceati pedes.. „ sumentes scutum fidei... et galeam „ salutis, et gladium spiritus.

aut fide populis, nunquam deficit: cui omnia alia Imperia aut exercendo, aut adjuvando, aut illustrando, deserviunt: hoc Regnum, inquam, post diuturnas, multiplices, gravesque toleratas et victas aerumnas, atque persecutiones, immanissimam praesertim illam, quam sinente Deo, deterrimus Antichristus accendet; Judaeis olim caecis et obstinatis, tunc demum suum in gremium receptis; tandem devictis hostibus, *victoria ultima, et pace perfecta*, ut S. Augustinus (2) loquitur; e caducis ad stabilia, e militia ad palmam, e terris migrabit ad caelos: atque in sempiterna vita, omni bonorum copia redundante, jucundissime cum CHRISTO conquiescet, Auctore, Duce, Sequestre, et Perfectore salutis suae.

De hujus igitur Augustissimi Regni dotibus nonnihil pro hodierna diatriba excerpentes: quae sequuntur, Theses delibamus.

II.

AC primo Ecclesiam, quae est Regnum Christi, conspicuam seu visibilem esse oportere, tam per se est manifestum, ut mirum valde videri debeat, hominem quemquam sanum, potuisse unquam induere contrariam mentem; nisi aliunde constaret, in quae errorum portenta abripiat studium pervicax defendendi, quod temere antea susceptum sit. Quorum enim, ut ceteras probationes mittam; quorum, inquam, Ecclesia, caetus sive societas est?

(2) I. De Civ. in Praef.

est? hominum nempe: qui non possunt non esse visibiles, nisi homines esse desierint. Tam igitur certum est, Ecclesiam esse visibilem, quam certum, esse visibiles homines, ex quorum copulatione coalescit Ecclesia. Homines item hominibus conjunguntur, invicemque conversantur, cum sese mutuo agnoscant atque perspiciant: non enim veluti ad maceriam conflandam lapidum more junguntur. Itaque videntur vim nominis ignorasse, qui Ecclesiam visibilem esse negarunt. Quid? Regnum Christi, nonne in homines aspectabiles exercetur? „ postula à me: (Psalmo 2.) et dabo tibi gentes haereditatem tuam etc. Reges eos in virga ferrea „.

At Christus in animis fidelium per fidem, spem, et caritatem regnat: quae res in spiritum hominis spirituali et invisibili ratione peragitur. Fateor. Sed quid vetat utrumque verum esse; videlicet et interius, invisibili modo, et exterius item per conspicuas functiones, et Sacramenta visibilia Regnum Christi exerceri? Non enim est pugna; sed alterum potius infert alterum. Ut ecce in homine, de quo nobis est sermo: Corpus aspectabile, cujus munia in sensus incurrunt, interiorem spiritum non excludit, sed magis ut necessarium fontem munerum suorum exposcit. Spiritus item, quia hominis, non Angelicus spiritus est, exigit corpus, per quod rerum cognitionem hauriat, per quod operetur extrinsecus. Sit prior illa functio nobilior et potior, altera minus nobilis; at necessaria tamen; non enim aliter posset inter homines exerceri. Quemadmodum ergo, etsi excellentiorem portionem esse animam rationalem dicamus, ab hominis tamen natura non excluditur corpus: (ita ut in so-

la

la anima hominis essentiam collocemus) sed requiritur, etsi ut minus principale, ut necessarium tamen, et ad ejus essentiam pertinens, corpus: ita quamvis interior illa colligatio primas teneat, haec autem postremas; non ideo sequitur hanc ad essentiam et constitutionem Ecclesiae Christi non pertinere. Cujus rei tam multa, tam clara Sacrae Scripturae testimonia occurunt, ut nihil supra. Modo enim *civitas ſupra montem* &c. modo *lucerna*] *ſuper candelabrum posita*,. modo aliis ejuſdem generis nominibus appellatur.

III.

EX eo quod exterior Ecclesiae facies conspicua sit, et in sensus corporis cadat, statim consequitur, eam non solum justos, aut praedestinatos, ſed etiam probos una improbosque complecti. Qui enim aspectabilis esse posset, solis justis praedestinatisve suo sinu comprehensis, si cum interior animi habitudo, tum vero aeterna sors, hominibus sit prorsus impervia, Deo ſoli pateat? Alioquin oporteret jugiter homines animi pendere, ac veluti navem mediis in fluctibus haerere incertos, ubinam tutam stationem habere deceat; quod longissime a sapientia et bonitate optimi ejus conditoris abhorret. Quid? quod ea absurda consequerentur omnia, quae paulo antea indicavimus? Non enim caetus hominum esset, qui per sensibilia ad invisibilia manu ducuntur: non posset socius socium, cui copularetur, et quicum conversaretur, agnoscere. Quippe latet homines,

nes, quid in alterius animo geratur, quae sit forma et habitus mentis. Certe Christus Dominus non invisibilem Ecclesiam intellexit, cum Apostolis edixit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus et Publicanus.* Nec sane si a probitate interna penderet Ecclesiae constitutio, possent fideles veros suos Praesides et Pastores agnoscere. Hinc volens Deus tam noxiam persuasionem a fidelium mentibus longe abesse, frequentissime sub his imaginibus rem declaravit, quae bonos et malos una in sua Ecclesia comprehensos, possent luculenter significare. Nunc enim ipsam sagenae in mare missae, omnique genere piscium repletae comparat: nunc agro, cui insunt zizania in medio tritici; nunc magnae domui, in qua boni, et mali servi; vasa in honorem, et contumeliam, reperiuntur: item Areae, in qua frumentum paleae immixtum; et sexcenta ejusdem generis. Quocirca *Apostolus* ad Ecclesiam Corinthiorum scribens, quam multis ex capitibus laudarat, notat ac reprehendit, non modo contentiosos et carnales Fideles, sed etiam gravioribus criminibus oneratos. Quae omnia loca Sanctus *Augustinus*, occasione Donatistarum pervicaciae adeo ubertim et luculenter explanavit, ut omnia exhausta esse, et nihil addi posse, videatur.

IV.

Jam vero aspectabilem Christi societatem, bonos malosque homines complectentem, nunquam esse defecturam, sive quo ad externam Regiminis formam, sive quo

quo ad fidei veritatem ; id est Messiae Regnum sempiternum fore , disertis sacrarum literarum oraculis proditur : *Regnum*, inquit Daniel cap. 2., *quod in aeternum non dissipabitur , et alteri populo non tradetur . . . . et ipsum stabit in aeternum* . Et rursus cap. 7. *Potestas ejus , potestas aeterna , quae non auferetur , et Regnum ejus , quod non corrumpetur*; et ne cetera , quae sunt innumera , persequar : *Regnabit*, praenunciat Angelus Gabriel, *Lucae* 1., *in domo Jacob in aeternum , et Regni ejus non erit finis*. Quia ergo Regnum Christi duo illa , exteriorem , sc., et interiorem formam necessario , velut animam corpusque complectitur; alterutrum inficiari, est praefracte Dei verbo contraire: quod faciunt hodierni Protestantes . Quippe cum argumentis Catholicorum victi , repente ecclesias duas, *tanquam e machina deûm* , in scenam induxissent, interiorem nempe et exteriorem ; promissiones Dei ad priorem ecclesiam , non ad alteram pertinere in libidinem effinxerunt : quasi societas ulla , aut Regnum , quamquam spiritale , inter homines esse queat, quod non se prodat extrinsecus ; aut una res ex his alteram ceu individuam non inferat, sed extrudat ; aut denique Deus in Terris, Angelorum mente sola officiis defungentium congregationem , non hominum instituerit . Quod si absonum est in Regno *lucis , filios lucis , et diei , in tenebris ambulare* ; si est omnium absurdissimum, ut hi qui praecipere, quique obtemperare tenentur , se mutuo non agnoscant; fatendum omnino est : Deum , qui rectissime omnia disposuit , in pollicitationibus de perpetuitate Regni sui , certissime ecclesiae exteriorem etiam faciem spectavisse . Quod si ita res se habet ; quis ei, cujus *consilium erit stabile* ,

in

in cujus *ditione cuncta sunt posita* ; qui *fidelis est* in *omnibus verbis suis*, praescribat, aut limites figat, ut quibuslibet in ecclesiam ingruentibus adversitatum procellis, sospitem incolumemque non servet? Praesertim cum illae promissiones adeo sint absolutae, tam solemnes, tamque crebro repetitae, ut nullae in sacris literis futurae sint Dei promissiones absolutae, si illa absolutae non erunt. Et quidem si humana tantum hac in re conjectura ex praeteritis capta niteremur, nescio num alia ista probabilior, aut firmior inter homines edi posset, qua colligeremus Christi Ecclesiam numquam deinceps defecturam. Tantis enim ac talibus hactenus casibus tentata, ut aliquando de *Christiana Religione Deleta*, etiam tropaeea jactabundi ipsius hostes extulerint; tot difficultatibus agitata, ut interdum imminentis ruinae tempus vel calculis inirent; ipsa tamen illud quod est apud Job. 4. experta est: *Cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer*. Revera enim post immanes illas tempestates, castiores moribus, et doctrina clariores Christi Fideles evasere. Sed nos non humanis solum ratiociniis, sed etiam persuasione firmissima certi sumus, nullum adversitatum, scandalorum, haeresum, ac seductionum genus; nullum denique quod ab humana, vel diabolica potestate excogitari infestum potest, fore ut ecclesiam quo ad integram sui formam et constitutionem labefactet: id enim omne, *portarum infernarum* nomine, quas adversus ecclesiam numquam praevalituras Christus praedixit, ex orientalium more intelligitur. Ita jure optimo magnus ille Doctor S. Joan. Chrys. affirmavit (3): *Facilius esse solem extingui, quam ecclesiam obscurari*.

B V. Quae

(3) Hom. 4. in Cap. 6. Isai.

V.

QUae veritas ex suo contraposito multo amplius patescit. Quia enim consilium Dei fuit, ut Synagoga, seu Respublica Hebraeorum, usque ad Messiae adventum, et non ulterius permaneret, eo adveniente tota illa Judaica administratio abrogari debuit. Omnis enim illius, aut politicae aut sacrae Reipublicae apparatus, sacrorum scilicet, sacrificiorum, et Sacramentorum congeries, veluti typus quidam, imago et umbra a Deo statuta fuit, Ecclesiae et Regni Christi. Quare sicut exoriente sole evanescunt prorsus umbrae, praesente exemplari, supervacanea est imago: ita Messia in terris apparente, et Redemptionis mysterium consummante, desinere ac cessare omnino debuit tota illa caeremoniarum strues. *Translato enim Sacerdotio*: (ut recte Divus Paulus in Epistola ad Hebraeos argumentatur c.7. v.12.) *necesse est ut legis translatio fiat*. Quod itidem de temporali forma Regiminis, quae erat cum sacra connexa, verum esse, ex sancti Jacobi Patriarchae Gen. 49. (4) praedictione constat. Vaticinatus quippe est: defecturum sceptrum, et dominationem ex Hebraeorum gente, veniente Messia. Quod utrumque Prophetae apud eos conceptis verbis expresserunt. *Ecce dies venient*: (inquit Jeremias cap. 31. vers. 32.): *dicit Do-*

(4) Ita enim cit. loco clare exprimitur: *Non auferetur sceptrum de Juda, et Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.* Inanes autem adversus nitidissimum hoc vaticinium Judaeorum cavillationes apud quemvis e nostris invicte difflatas cernere est.

Dominus ; et feriam domui Israel , et domui Juda foedus novum , non secundum pactum , quod pepigi cum Patribus eorum , in die qua apprehendi manum eorum , ut educerem eos de terra Aegypti . . . . sed hoc erit pactum . . . . . . dabo legem meam in visceribus eorum , et in corde eorum scribam eam . Idem et reliqui Divini Vates testantur (8) .

Itaque cum Dei consilium et voluntas , quemadmodum ex oraculis Prophetarum clarescit , fuerit , ut sub adventum Messiae , Sacerdotium Leviticum cessaret , lex et legales caerimoniae abrogarentur , Principatus Hebraeorum una cum Civitate , Temploque funditus deleretur ; haec omnia Christo adveniente obliterari , ac in perpetuum , ut fuerat praedictum , desinere debuerant : quod rei probavit eventus . Quandoquidem a XVIII. seculis , etsi non semel antiqua repetere tentarint , (9) nihilo-

mi-

(8) Sic Isa. c. 55. v. 3. *Inclinate aurem vestram , et venite ad me ; audite , et vivet anima vestra , et feriam vobiscum pactum sempiternum , misericordias David fideles . Ecce testem populis dedi eum , ducem et praeceptorem gentibus .* Dan. 9. vers. 26. *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus . . . et dimidio hebdomadae deficiet Hostia , et Sacrificium .* Nec obscurum est illud Regii Psaltis *Ps.* 109. v. 4. *Iuravit Dominus , et non poenitebit eum , Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Significatur enim sub Messiae imperio animalia Aaronico ritu non amplius mactari in sacrificiis oportere ; sed in morem Melchisedech panem et vinum offerri . Alia complura ejus generis testimonia referre non est magnum operae pretium ; sunt enim admodum vulgata .

(9) Tentarunt id non semel ; praesertim sub *Hadriano*, sed semper in pejus eis res cessere . Quid sub *Juliano* apostata eis in odium Christianae Religionis favente acciderit , compertum est non modo ex nostris Auctoribus coaevis , sed etiam ex Ammiano Marcellino, homine ethnico , qui in ejusdem Juliani castris militaverat .

minus, quod Tertullianus (10) quondam de Judaeis scripserat, nobis quoque dicere licebit. Quare inanis prorsus est illorum spes, qua sibi blandiuntur, futurum aliquando, ut ad patriam terram reversi, omnibus bonis cumulati, pristinas caeremonias repetant. Inanis, inquam: nam quae Prophetarum Vaticinia ingerunt, ea jamdudum impleta fuisse perspicuum est (11).

VI.

DEsiit ergo post mysterium humanae Redemptionis impletum Synagoga, idest societas illa ex sola Hebraeorum natione collecta; seu verius nobiliorem novamque speciem et formam induit, Ecclesiae nempe, Christi, quae ejus adventu, praesentia, doctrina, miraculis, gestis, ac passione, ex Judaeis simul et Gentibus coalita, fundata et Redempta est. Ubi, ut dicit Apostolus: *Non est Gentilis, et Judaeus, circumcisio, et praeputium; barbarus, et scytha; servus, et liber; sed omnia et in omnibus Christus*. Nimirum haec societas, non est addicta uni populo, aut Genti, sed omne omnino humanum genus, pro cujus spirituali aeternaque salute est instituta, ad se vocat, susceptumque suo sinu complectitur ac fovet. Haec ejus indoles, proprietas ac character, qui

(10) Tertull. lib. adversus Judaeos: *Palantes*, inquit, *et extorres, nec patrium solum etc.*

(11) Impleta quippe omnino universa quae jactant, Moysis, et aliorum Prophetarum vaticinia post reductionem ex Babylonica captivitate; et multo illustrius exorto in terris Jesu Christo Domino Nostro, facillimi negotii esset ostendere, si esset otium.

qui proinde tamdiu ipsi Ecclesiae adhaesurus est, quamdiu Ecclesia permanebit; id est in sempiternum. Quippe oracula tam veteris, quam novi foederis eodem pariter tenore produnt, et Regnum Christi futurum aeternum, atque ad omnes gentes pertinere. Sic Danielis 7., ubi sempiternitas Regni Christi praenunciatur, pariter scribitur: *dedit* (antiquus dierum filio hominis:) *potestatem, et honorem, et Regnum, et omnes populi, tribus, et linguae ipsi servient: potestas ejus, potestas aeterna &c.* sic et passim in aliis Prophetis legere est.

Quare non bene consulunt nuperi quidam, scriptores amplitudini et dignitati Regni Christi, nec veritati sacrorum oraculorum, qui circa tempora Antichristi apostasiam quandam pene generalem gentium à Christi fide comminiscuntur. Qui enim Christus *haereditatem, et possessionem in omnes gentes* tam saepe, tam luculenter in SS. Litteris expressam, pretioso suo sanguine quaesitam, a Patre tam constanter (12) attributam, adeo facile patietur sibi e manibus extorqueri? Nonne ille ipse est (Luc. XI.) *fortis armatus, qui cum custodit atrium suum, in pace sunt ea, quae possidet?* Scilicet *fortior eo* (Satanas) *superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.* Quod profecto si affirmare reformidant, illud fateantur: Christum Dominum, nullo umquam tempore, nullis in casibus, adita semel haereditate *in omnes Gentes* excessurum. Certe ipsimet confitentur; sunt namque Catholici: tunc etiam Ecclesiam visibilem permansuram. At manente re, ut omnes pro cer-

(12) Psal. 2. *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.*

certo habent, ejus pariter proprietas debet permanere. Cum ergo una ex Ecclesiae proprietatibus, seu dotibus haec sit, ut eam Catholicam esse fateamur: profecto si Antichristi etiam tempore manebit Ecclesia, ipsam pariter sine dubio comitabitur haec sua propria dos, ut nimirum sit Catholica. Porro quidnam est Catholicum, seu universale, nisi illud quod ex universitate gentium et populorum adunatur? Quare nullis casibus, nullis adversitatibus, sive difficultatibus, nullis etiam immanibus persecutionibus, unquam eveniet, ut ex gentium universitate collecta Christi societas interrumpenda sit, sive abolenda.

Hic illi sane non confugiunt ad promissiones conditionales haereticorum; sed ajunt tamen: nullum detrimentum Christi Ecclesiam passuram ex defectione Gentium, quoniam haec abunde resarcietur nova ad fidem Christi accessione totius Judaicae gentis. Tu ergo ut Judaeorum saluti consulas, quam semper exoptat, et enixe a Deo precatur Ecclesia Gentium, ecclesiae ex Gentibus maledicis? Quam satius erat, utrisque consulendo, dicere: Universitatem Gentium, qui tum Christo adhaerebunt, novis lucris augendam, cum accessione Judaeorum lapsus aliorum reparabitur? Ita nec haereditatem Christi in *omnes Gentes*, nec sponsae suae individuam dotem tentare, nec laedere Judaeorum jura videreris. Nunc autem vix incommodum effugies. Rogo enim, quandonam erit latissima illa, quam statuis, Gentium a Christi fide defectio? Cum ante, ais, tum maxime in ipsa persecutione Antichristi. Rursus; quo tempore Judaei Ecclesiae Christi accedent? Non quidem ante illius iniqui impressionem, ut sponte fateris: ne quidem eo apparente, nam constat

stat (13) Judaeos inter primos, illius castra secuturos. Igitur eo temporis intervallo Christi *possessionem* alter *eo fortior* invadet, adeoque ecclesia nullo modo, aut vix *Catholica* appellabitur. Quid? quod Hebraei una cum Antichristo Rege suo conjunctis viribus persecutionem illam omnium teterrimam et immanem in Ecclesiam, utique Gentium, concitabunt? Quos persequentur, quos mactabunt, in quos desaevient? Non in eos certe qui aut jam defecerant, aut qui facile cessuri sunt, sed nimirum in eos, qui resistent, qui potius *eligent Deo dilecto emori, quam offenso vivere*.

Perstabit itaque, Antichristi quoque tempore, Ecclesia ex omnibus Gentibus adunata, et tunc potissimum, ut ait S. Augustinus (14) in *suis fortissimis eminebit*. Non enim Christus sponsae suae in grandi illo discrimine deerit, cum promiserit: (15) *Ecce ego vobiscum sum*

(13) Est concors sacrorum Doctorum mens. Ac videtur id recte conjici, non modo ex praesenti statu, animi habitudine, expectatione, proposito, aliisque circumstantiis Hebraeorum, verum etiam ex duobus potissimum S. Scripturae locis. Alter ex II. Thess. 2. 10. ubi Apostolus loquens de Antichristo, scribit: „ eo quod „ caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent: ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio „. Alter vero petitur ex verbis Christi Domini Ioan. V. v. 43. „ Ego veni, „ ait, in nomine patris mei, et non „ accipitis me: si alius venerit „ in nomine suo, illum accipietis „. Τὸ *si* namque hic accipiendum esse, non ut particulam conditionalem, sed phrasi hebraica pro *cum* erudite evincit *Maluenda L. V. de Antichristo*, c. 24. Sic vero esse affectos Hebraeorum animos qualibet ferme aetate rei probavit eventus.

(14) S. *August. l. XX. de Civit. Dei*.

(15) Mat. XXVIII.

sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi . Vehementissima quidem tunc aderit tentatio; sed *fidelis est Deus* inquit Apost. (16) *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis , sed dabit etiam cum tentatione proventum , ut possitis sustinere* . Nec enim immerito quis in Ecclesiae *proventum* computabit eam fucatorum Christianorum quorumdam ab Ecclesia manifestam secessionem ; nam quemadmodum pravis humoribus ex hominis corpore extrusis , melius et concinnius sese habet humani corporis temperies; ita ea occasione robustior et elegantior futura erit Ecclesiae habitudo : adeoque quantum furor, seductio, ac iniquitas Adversariorum extrinsecus detraxerit; tantumdem , et multo quidem amplius, virium et pulcritudinis accedet intrinsecus : ita imbecillium et pravorum casus satis superque compensabitur . Nec assentimur , paucos futuros , qui in fide perstiterint, nisi paucos dicas prae tota multitudine impiorum; id enim omni tempore verum fuit; et Christi Domini omnino eſt vera sententia „ Latam „ esse viam, quae ducit ad perditionem, angustam, quae „ ducit ad vitam „ Sed illi iidem pauci , ut passim S. *Augustinus* animadvertit, per se , et absolute, in sua ratione multissimi sunt . Praesertim cum clementissimus Dominus consueverit majoribus in calamitatibus praesentiora adjumenta et praesidia suppeditare : quae tunc confidendum est non defutura; quae illi certissime experientur, qui eo in discrimine versabuntur . Nos certe non abs re conjicere possumus, conspectum, tunc temporis , exitum, et veritatem rerum longe ante praedictarum , excitatura procul dubio homines non socordes , ad Chriſti

(16) Apost. II. Corint. c.

sti fidem tenacius atque ardentius complectendam. Quid porro facient duo illi augustissimi Justitiae praecones et testes, Henoch, et Elias, qui non alio plane consilio, tanto prodigio, eo usque vivi reservantur, quam ut animos veris Fidelibus addant, lapsos erigant, roborent debiles, extremi Judicii imminentis universos admoneant? praecipue quia Antichristi praestigiis, falsisque miraculis vera et solida portenta opponent, quibus seductiones et dolos omnes, ab eis, qui non prorsus caeci et dementati fuerim, dissipabunt. Haec, et alia quae conjici non injuria possunt, satis erunt non modo ad fideles in fide firmandos, et profugos revocandos, sed novos etiam socios adjungendos. Non ergo tantam, quantam Adversarii praedicant, Antichristus vastationem Christianorum facturus est. Quandoquidem Draco ille Apocalypseos, qua tantopere abutuntur, *tertiam partem stellarum Caeli* tantum sua cauda traxisse traditur. Si *tertia* tantum pars in Antichristi castra transibit: ergo duas reliquas partes Ecclesia Christi sibi servabit incolumes.

Haec, quae festinanter tangimus, necnon ea, quae certi sumus multo plura et graviora prudentioribus in mentem ventura, plane persuadent, vel ipso Antichristianae persecutionis tempore, non defecturam universalem Ecclesiam ex diversarum Gentium propagine conflatam. Ac eo magis, quod fundamenta, quibus nonnulli innixi eam veritatem labefactare moliuntur, nihil adversus illam concludere videamus.

Siquidem primum, quod ex Apostoli ad Rom. XI. auctoritate assumunt, quodque tam frequenter ingerunt, illis nullo modo suffragatur. Producamus integrum locum, ut ab ipsis affertur.

„ Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum „ oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis „ et pinguedinis olivae factus es, noli gloriari adversus „ ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed „ radix te. Dicis ergo: Fracti sunt rami, ut ego in- „ serar. Bene: propter incredulitatem fracti sunt, tu „ autem fide stas. Noli altum sapere, sed time. Si „ enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte „ nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem et severitatem „ Dei: in eos quidem qui ceciderunt severitatem; in te „ autem bonitatem, si permanseris in bonitate: alioquin „ et tu excideris. Sed et illi si non permanserint in in- „ credulitate, inserentur: potens est enim Deus insere- „ re illos. Nam si et tu ex naturali excisus es oleastro, „ et contra naturam insertus es in bonam olivam: „ quanto magis ii qui secundum naturam, inserentur „ suae olivae? Nolo enim vos ignorare, fratres, myste- „ rium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia „ caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo „ gentium intraret; et sic omnis Israel salvus fieret... „ Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo, nunc „ autem misericordiam consecuti estis propter incredu- „ litatem illorum: ita et isti nunc non crediderunt in „ vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam con- „ sequantur. Conclusit enim Deus omnia in incredulita- „ te, ut omnium misereatur. *Rom.* XI.

Quid quaeso in hoc testimonio reperitur, quod opinationi Adversariorum faveat? Apostolus cavens, ne Gentes casu Judaeorum, suaque vocatione excitati, illos quidem temere despicerent, sese autem ipsos nimium ef-

efferrent, omnem ansam contemptus, atque elationis illis prudentissime praecidit. Atque adeo 1. in memoriam revocat, sub similitudine *olivae* et *oleastri*, utriusque gentis statum, idest dignitatem unius prae altera. 2. inducit eos in considerationem Divinorum judiciorum ob severitatem in illos, misericordiam in hos exercitam. 3. aperit *mysterium* de conversione Judaeorum, postquam lucem Evangelii admiserit *plenitudo Gentium*: ex quibus infert, ne *altum sapiant*, ne *glorientur adversus ramos* fractos, ne sint apud seipsos sapientes; ideoque salutarem castumque timorem illis inspirat, atque ad virtutem humilitatis inducit. Pandit quidem mysterium de futura Judaeorum conversione, at nihil habet de Gentium caecitate, reipsa futura. Quod ut melius intelligatur, juvabit sequentibus animadversionibus animum apponere.

Affirmat quidem Apostolus caecitatem Judeorum occasionem praestitisse conversioni gentium, at non item conversioni Judaeorum occasionem daturos gentiles obcaecatos. Cur ergo quod Sanctus Paulus non asserit, hi tanquam ex Apostoli mente obtrudunt? Profecto ut salvaretur *proportio*, quam tantopere depraedicant, oporteret eodem modo gentiles futuros occasionem Judaicae conversionis, quemadmodum et olim Judaica caecitas fuit occasio conversionis gentium: quod esse non potest. Judaei quippe tribus de causis, ut existimari recte potest, occasio extitere conversionis gentilium. „Primo, „quia per delictum quod in occisione Christi commi-„serunt, est subsecuta salus Gentium per Redemptionem „Sanguinis Christi. Secundo ob delictum, quo doctri-„nam Apostolorum repulerunt, ex quo consecutum est,

 „ut

„ ut Apostoli gentibus praedicarent , secundum quod „ dicitur Actor. 13. verſ. 46. Tertio de hoc , quod „ propter suam impoenitentiam sunt in omnes gen- „ tes dispersi ; et sic Christus et Ecclesia ubique a Libris „ Judaeorum testimonium habuit fidei Christianae, ad con- „ vertendos gentiles , qui suspicari potuissent Prophe- „ tias de Christo , quas praedicatores fidei inducebant „ esse confictas , nisi probarentur testimonio Judaeo- „ rum „ . S. Thom. in com. ad eum locum Apostoli . Ostendant Adversarii aliquo ex his tribus modis gentiles futuros occasionem Judaicae conversionis: tunc enim , et servarent *proportionem* quae maxime illis arridet , et nos subinde fateremur, Apostolum illis suffragari : vel denique alium saltem quartum modum assignent istius occasionis : quod non ita facile praestabunt. Id namque quod repetunt ex Dei consuetudine , qua in locum aliquorum ruentium ſolet alios substituere , non ſolum illis minimè favet, quinimo potius est adversum . Nam primo ab his auctoribus ponitur gentium defectio à fide circa Antichristi tempora: at Judaei cum ſemper fuerint caeci et obstinati , tum magis illo tempore ſuo in errore et caecitate persistent; quippe qui primi omnium et avidius sint Antichristo adhaesuri : ergo non magis (si stemus adversariorum calculis) gentiles Judaeis , quam ii vicissim illis impietate sua reversionis erunt occasio: cum isti eidem , vel etiam deteriori sint reatui obnoxii. Non ergo haec erit causa , quam fingunt ipsi conversionis Judaeorum ; ſed primum infallibilis Dei promissio, quam indicat Apostolus ajens : *sine poenitentia enim sunt dona Dei* . Deinde , si occasio , et *proportio* in his quae

soa-

a ſola Dei voluntate, et misericordia pendent tam anxie quaeritur, cur non eam, quam Apostolus expressit, amplectamur? *Sicut*, inquit, *enim aliquando et vos non credidistis Deo . : . ita & isti nunc non crediderunt*. Habent en adamatam *proportionem* illis particulis *sicut*, *ita*, expressam; at praeterita, non autem futura, ut vellent ipsi, spectantem.

Praeterea si illis tantum arridet hoc Dei institutum, ut aliis cadentibus, suscitet et erigat alios, minus forsan aberrarent, si loco ruentium tunc gentilium una simul cum Judaeis, conjectarent, Christianos, qui metu persecutionis adacti, sylvestribus locis, ubi barbari degunt, refugium quaerent, alios barbaros ad fidem vocaturos, praesertim Deo, ut assolet, sermonem confirmante sequentibus signis. Haec sane esset minus incommoda, quam ipsorum hypothesis, et quidem id non inepte conjici, ſed potius esse Dei consuetudini et praxi non admodum dissentaneum, ex monumentis Ecclesiasticae Historiae apud *Rufinum*, et alios cognosci potest.

Quid quod nec sibimetipsis, neque cum Apostolo cohaerent? Apostolus namque scribit, tunc Judaeos ad fidem Christi convertendos, cum *intrarit plenitudo gentium*. At ipsi affirmant, Hebraeos postquam Christi Regno accesserint, magnam gentium multitudinem, quae nunquam Christo crediderat, ad agnitionem veritatis revocaturos. Non ergo antea *intrarat* in Ecclesiam *Gentium plenitudo*, si adhuc maxima earum pars per Hebraeos esset convertenda ad fidem Christi: apertam enim contradictionem involvit; id plenum dici, cui multum superest superaddendum. Quare D. Paulo manifeste adverſantur. Ipse asse-
rit

rit Hebraeos salvandos, postquam intrarit plenitudo Gentium: illi contra, velint nolint affirmare coguntur: plenitudinem gentium adfuturam, postquam Hebraei salvati fuerint. Praeterea, Conversio Judaeorum non erit ante persecutionem Antichristi, cui Judaei mordicus adhaerebunt. Apostolus autem *II. ad Thes.* c. 2. ut mox ostendetur, illigat adventum Antichristi cum *instante* adventu Judicis. Cum ergo ipsi commentitiam illam reprobationem Gentium removeant ab extrema mundi periodo, ut et Judaeorum conversionem, rursus apparet ipsos neque secum, neque cum Apostolo convenire: ac proinde fictitiam esse *dependentiam* illam et connexionem, quam inculcant, inter resipiscentiam Judaeorum, et Gentilium coecitatem.

Nunc quoniam testimonium Apostoli, in quo maxime confidebant, ostendimus, non modo illis non favere, verum etiam adversari, reliqua prae temporis inopia non attingimus; praesertim cum longam orationem non desiderent; sunt enim ipsae Judaeorum neniae, saepius a nostris profligatae. Universa quippe vaticinia Prophetarum, quae curiosius coacervant, haud necesse est intelligamus de postrema Judaeorum conversione. Quaedam enim intelliguntur impleta post Babylonicam captivitatem; quaedam vero tempore Christi et Apostolorum: quaedam promiscue utramque aetatem respiciunt. Si quod demum sit quod ad illa tempora attineat, nil ipsis suffragatur, ut cuique in sacris litteris versato planum erit. Rursus verba Prophetarum alioj etiam ex capite illis haud favent. Nam gentes illae describuntur ut pessimae, et quae Hebraicum populum, Deo actu carissimum vexarant, et ideo digni erant qui divinitus multarentur. At Hebraei modo à Princi-

ci-

cipibus maxime Christianis non saeve tractantur: imo ipsi passim si se occasio obtulerit in Christianos saeviunt, praecipue innoxios pueros, ut ex Historiis liquet. Denique quia a SS. Patribus, praesertim Augustino non solum commodè, ſed etiam optimè intelliguntur illae gentes a Prophetis descriptae pro communi ſocietate impiorum, de quibus insignem vindictam Deus est ſumpturus ob crimina admissa in fideles Civitatis Dei.

VII.

Cum autem usque ad extremam mundi periodum, adeoque in perpetuum, visibilis Christi Ecclesia duratura sit, sponte sequitur: illius Caput visibile, quod est *Romanus Pontifex*, Christi Vicarius, Petrique successor, pariter usque eo non desiturum: ne dicamus, corpus suomet capite visibili mutilum remansurum, quod est omnium absurdissimum. Siquidem cum Christus perennem stabilitatem Ecclesiae sponsae suae pollicitus esset, super Petrum, ejusque proinde legitimos successores, ipsam fundavit: *tu es Petrus*, inquit, *et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi etc.* Quod quia nuperi illi Scriptores Catholicorum sensu id intelligunt, mirari subit, cur, cum Romanum Pontificem hujus aspectabilis corporis caput fateantur, eumdem non simul cum Ecclesia, quam non negant perpetuam futuram, perennem futurum velint, sed nescio quas venturas Ecclesiae dispositiones fingant, ob quas alio transferenda sit Apostolica Sedes.

Sed

Sed primum quaerere ab istis liceret, unde res tam abditas et remotas deprehenderint? Certum est enim Christum Dominum, eandem suae spiritualis Reipublicae formam servandam deinceps voluisse, quam ipse ab initio praescripsit. Ipse porro *S. Petrum Apost.* statuit suae Ecclesiae Principem: nec est verosimile sine Divino nutu et instinctu S. Petrum *Romae* Cathedram Apostolicam collocasse: ut proinde optima ratione Catholici omnes Scriptores asseverent: Divini Juris esse, eum qui Petro in Cathedra Romana succedit, esse Christi in terris Vicarium.

Quum igitur hoc habeamus satis compertum, et communi Catholicorum sensu confessum receptumque, fixum apud Orthodoxos cunctos esse oportet, Romanum Pontificem, cum jure Divino Ecclesiae Catholicae praesit, quae duratura est inperpetuum, perpetuo pariter eidem Ecclesiae, usque ad extremam Mundi clausulam, moderaturum fore. Non enim humana potestas Divina jura convellere potest aut abolere; neque id, quod per se certum est atque perspicuum per conjecturas nostras potest amittere firmitatem suam; si conjecturae dici mererentur, ac non potius emoti cerebri aberrationes. Quaero enim, unde habeant, Romanam Urbem funditus exscindendam, ac proinde Romanum Pontificem alio migraturum, novamque sedem quaesiturum? Ex oraculis, inquiunt, Prophetarum, qui praedicunt, *Babylonem* destruendam: *Babylonem* autem esse *Romam*. Gaudeo primum, quod tropicam, sive figuratam locutionem, quam alias tantopere nobis, et iniquius invident, arripiant hoc loco avidius quam deceat. Deinde id jure

pete-

petere possim, unde ii habeant, *Babylonis* nomine *Romam* designari? Ex contextu, respondent, sermonis, Patrumque sententia. At regero, ex iisdem constat, eos de Roma adhuc pagana, idololatriaeque addicta fuisse locutos: itaque juxta illos de excidio superstitionum paganarum rectissime intelligitur. Nihil ergo ad hanc *Romam*, nihil ad *Romanum Pontificem*, qui Romae Christianae, totiusque Ecclesiae, quae superstitiones paganorum conculcavit, et rejecit, Caput est, omnino attinet.

Quid si jamdudum vaticinium illud est impletum, ut doctissimi viri ostenderunt, quorum sententiam nuper *Episcopus Meldensis* ingeniose et exquisite promovit, promotamque illustravit? Quid si cum plurimis SS. Patrum, praesertim *Augustino*, Babylon, pro tota societate impiorum, sicut contra, Jerusalem pro societate justorum aptissime, et more styloque scripturarum, intelligatur? Deinde si illis, quae est optimorum Auctorum sententia, non arridet; vetus Romanorum Imperium jamdiu desiisse, velintque contra Danielis vaticinium (*cap.* 2.), quod *lapis* ille *abscissus de monte sine manibus*, immanem illam statuam, adhuc in *pedibus ejus fictilibus* non percusserit, nec eos comminuerit; Edisserant nobis, secumque saltem conveniant, nec pugnantia simul misceant; quonam tempore, quave de caussa, et a quonam Romana Urbs exscindenda sit? Si ab Antichristo, ipsiusque jussu: ergo ipsa Urbs Antichristo repugnabit, adeoque Deo non erit invisa, immunditia et scelere turpis, quemadmodum Auctores isti concludere sibi ex sacris litteris videntur. Denique si omnes etiam istae hariolationes et commenta admitterentur, non id-

D cir-

circo propter excisionem Urbis, inconcussis Dei, qui cuncta novit, oraculis, fidem abrogabimus, quibus, una cum Ecclesiae perennitate, perennitas pariter ejus visibilis Capitis, *Romani Pontificis*, edicitur. Non enim materiali quopiam loco deleto, ejus statim loci Praesidis tituli, praerogativae, et decora delentur.

Sed facessant adversus Urbem Romam, quam tantopere *S. Paulus* ob fidei firmitatem celebravit, quam SS. PP. et Doctores innumeris elogiis cumularunt, cui tot Myriadum Martyrum Christi sanguis, decorem et praesidium amplissimum addidit; quam Apostolorum Princeps non sine divino instinctu, tamquam praecipuam Sedem et Caput Religionis elegit. Facessant, inquam, insana hujusmodi male feriatorum auguria: Illique contra melioribus avibus apprecemur, id quod eleganter *Prudentius* cecinit (*Perist.*)

Discede adulter Juppiter
Stupro sororis oblite,
Relinque Romam liberam,
Plebemque jam Christi fuge.
Te Sanguis exturbat Petri:
Te Paulus hinc exterminat.

Manebit ergo ad finem usque seculi *Romani Pontificis* in totam Rempublicam Christianorum illustris Authoritas, atque inter innumera fidei nostrae momenta, et testimonia, vigebit et istud de successione Romani Pontificis in Apostolica Cathedra illustrissimum monumentum: dicentque, qui post nos victuri sunt, et qui prope Mundi finem extabunt, sicut nos modo, quod Sanctus Augustinus (*contra epistolam Fundamenti*) olim invicte clamabat: in Catho-

tholicae Ecclesiae gremio me „ TENET AB IPSA SEDE PETRI, CUI PASCENDAS OVES POST RESURRECTIONEM DOMINUS COMMENDAVIT, USQUE AD PRAESENTEM EPISCOPATUM, SUCCESSIO SACERDOTUM„.

VIII.

Videamus nunc pro coronide hujusce exercitationis, an revera futura sint diuturna illa et aurea secula, quae post persecutionem Antichristi, Judaeorumque vocationem ante judicii diem, iisdem scriptoribus fingere placuit.

Et primo quidem, quod de aureis faustisque futuris seculis isti scriptores nobis obtrudunt, non videtur satis, ut generatim dicamus, accommodatum ad totum institutum Christianae religionis. Ecclesia enim Christi suo Capiti, ut salva sit, conformis esse debet. Scriptum est enim (ad Rom. VIII. v. 29.) *quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*. Unde cum Christus tribulationibus et angustiis pro nostra salute subjici sponte voluerit; ita et fideles omnes (ut tradit alibi idem Apostolus) *qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*. Quamobrem S. Aug. lib. 18. de Civ. Dei. c. 51. merito scribit: „ Id quod ait Apostolus: „ *quicumque volunt in Christo pie vivere, persecutionem patientur*, nullis pu-
„ tandum est deesse posse temporibus.... Sic in hoc se-
„ culo, in his diebus malis, non solum a tempore cor-
„ poralis praesentiae Christi, et Apostolorum ejus, sed
„ ab ipso Abel, et deinceps usque in hujus seculi finem,
„ inter persecutiones mundi, et consolationes Dei pere-

 „ gri-

„ grinando procurrit Ecclesia „ Et quidem verissime; nam ut habet Catechismus Romanus p. 1. C. X. *Ecclesia ideo militans vocatur, quod illi cum immanissimis hostibus mundo, carne, satana perpetuum sit bellum*. Usque ad extremum autem Judicii diem Ecclesia Catholica semper militans appellabitur. Nonnisi inepte ergo finguntur in Ecclesia aurea et felicia secula omni prosperitate, etiam temporal dominatione, et quidem latissima, affluentia, et persecutionis immunia, praesertim vero extremo illo tempore, in quo maximas et multas tribulationes imminere praedixit Christus Matth. 24., ubi inter cetera habetur: *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur*.

Sed isti Auctores cum parvipendant, ut dicemus, pene concordem sensum Patrum, et quidem omnis aetatis, et in re gravi, ut est illa de proximo adventu Judicis post Antichristi persecutionem; hic opportunum censent objicere nobis paucos tantum unius et alterius aetatis priscos Patres, quos innoxie hac in parte deceptos esse apparet ex tacito Ecclesiae consensu. Siquidem a IV. seculo, et deinceps non memini, ullum probatum Ecclesiae Scriptorem fuisse, qui illi obsoletae jam opinioni calculum praebuerit. Nec nos terreri putent testimoniis Scripturarum, secundum litterae corticem ab ipsis imprudenter usurpatis. Quippe si Judaeos imitati, universa testimonia Prophetarum ad summos litterae apices gestiunt intelligere, non multum repugnabimus, quin potius illis indulgebimus, copiamque faciemus, ut non solum ad litteram ista intelligant: *habitabit lupus cum agno, et pardus cum haedo accubabit etc.*; sed etiam illa festiviora: *terram lacte et melle manantem*: item: *flumina plaude-*

de-

dere manibus, exultare montes, et ligna sylvarum ec. Quod si non tantum desipient, ut quamvis ista sint a sacris vatibus conceptis verbis promissa, ea ad litteram accipiant; fateantur ex communi Patrum sententia, non omnia in sacris Bibliis ad litteram intelligi oportere; sed plura secundum spiritualem sensum, quem illi cum Ecclesia ipsa adoptarunt. Et attendite discrimen inter hos Auctores, et Patres. Ji, praecipue S. Aug. *lib. XVII. de Civit. Dei* Capp. 2. 3. 6. 8. 9. 10. ex eo quod non omnia, quae in sacris veteris Testamenti libris ad litteram promittuntur, reipsa, et eventu, ut ſonant impleta sint, colligunt prudentissime in iisdem surrigendos esse animos, et quid sublimius intelligendum: Isti contra ex eo quod quaedam Prophetarum vaticinia ad summos juris, et litterae apices impleta non sint, affirmant esse in futurum expectanda.

Nunc ostendamus fictitiam prorsus esse longissimam illam temporis intercapedinem inter supremum Judicis adventum, et Antichristi persecutionem, adeoque Hebraeorum conversionem.

Et sane invictissimum ac locupletissimum testimonium habemus ex ore ipsius Veritatis prolatum. Christus Dominus enim *Matth. Cap.* 24. tempora illa nobis exhibens; postquam dixisset: surrecturos eo tempore *Pseudo-Christos*, et *Pseudo-Prophetas*: et daturos *signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi*; subdit e vestigio: *statim autem post tribulationem dierum illorum. Sol obscurabitur, et Luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de Coelo, et virtutes Coelorum commovebuntur: et tunc parebit signum Filii hominis in Coelo: et videbunt Filium hominis venientem in nubibus Coeli . . . et mittet Angelos suos cum*

tuba,

tuba , et voce magna : et congregabunt electos ejus a quatuor ventis , a summis Coelorum usque ad terminos eorum .
Quibus in verbis duo potissimum animadvertenda sunt. I. Antichristi et satellitum ejus persecutio, quam prioribus verbis indicat : praecipue per id quod ante praemiserat v. 21. *Erit tunc tribulatio magna , qualis non fuit ab initio mundi usque modo , neque fiet* . Quod est limpidissimum argumentum acerrimae illius , et omnium maximae contra Ecclesiam Christi persecutionis . II. notandum velim τὸ *statim post tribulationem dierum illorum* . Quo loquendi modo aperte innuit nullum, et quidem diuturnum intervallum, quale isti comminiscuntur, intercessurum inter Antichristi persecutionem, et adventum Filii hominis ad Judicium. Atque idcirco haec fuit semper omnium Christianorum persuasio jam inde a primo exortu Christianae Religionis.

Hinc palam est, Sanctos Patres , qui persecutionem Antichristi cum extrema mundi clausula conjunxere , non proprio sensu et conjectura fuisse locutos , sed oraculis Scripturarum , et traditione majorum admonitos .

Quare minus prudenter novelli ii scriptores asserunt, licere sibi a Parum sententia desciscere ; propterea quod ipsi proprio ingenio hac in re decepti sint . Non enim id humana conjectura, sed ex verbis Christi Domini, et Apostoli , subindeque traditione per manus acccepta docuerunt . Haec duo enim accurate , et diligenter in hac materia distinguenda sunt ; Alterum quod pertinet ad humanam conjecturam ; an scilicet ex datis signis , et circumstantiis conjiciatur proxime instare , vel procul esse Judicii diem ; alterum , an latissimum , vel breve futurum sit temporis spatium, inter vexationem Antichristi , et extremam Judicii diem . In

In primo casu facile errari potest ; quinimmo semper errabitur ; cum verissima sint verba Christi Domini asserentis *Matth. 24. vers. 36. et seq. De die autem illa et hora nemo scit , neque Angeli Coelorum , nisi solus Pater . Sicut autem in diebus Noe , ita erit adventus Filii hominis . Sicut enim ec.* In altero autem capite longe diversa res est ; nam tantum abest, ut non possit illa res dignosci, quin potius oportet eam ex sacris litteris deductam confiteri . Quod illustrari potest exemplo Fidelium *Thessalonicensium*. Ii namque nonnullorum rumoribus acceptis temere putaverunt, instare diem Domini (en prior casus humanae conjecturae) . At *D. Paulus* scripta ad eos secunda epistola, instruit ipsos docetque , non instare diem Domini , nisi praecesserit Antichristi persecutio . Testimonium , quod in ima ora pagellae subjicio (*a*) clarissimum est. Hic non est humanae conjecturae locus : in hoc minime decepti sunt cum D. *Paulo* SS. PP. quippe id fixum eorum animis inerat : cum impressionem in fideles exercuerit Antichristus, tunc instare *diem Domini* . Quid enim est *instare* , sicut et graecum ἐνίστηκεν , nisi imminere, in proximo, jamjam adesse? Perspicuum ergo est , Patres , non humana conjectura nixos , sed Apostolica magis auctoritate id quod Auctores isti impugnant , asseruisse .

Videamus nunc quid istos Auctores impulit, ut a communi sententia discederent . Ajunt primo se non posse ali-

(*a*) Thessalon. 2. Cap. 2. vers. 1. et seqq. *Rogamus vos Fratres , ut non cito moveamini a ve- per nos missam , quasi instet dies Domini . Ne quis vos seducat ullo modo quoniam nisi venerit disces-*

aliter satis percipere, qua ratione brevi interjacente spatio, per Hebraeos gerenda sint ea omnia, et quidem magnifica et splendida, quae in sacris Prophetarum libris praedicuntur. Deinde et illa res eosdem non parum commovit; quod res tam insignis, tamque vividis coloribus a SS. Prophetis expressa, ut Conversio Judaeorum, exposcere videatur, non breve, sed latissimum temporis intervallum.

Sed ut ab hoc postremo exordiamur; non video quid brevitas temporis obsit rei tam illustri, magnificeque a sacris Auctoribus praedicatae. Res quidem splendidissimae et maximae, praesertim si Dei protectio, et operatio interveniat; in brevissimo non modo spatio, sed etiam momento effici poterunt. Jure autem exhibetur conversio Iudaeorum, ut res miranda. Nam quod magis mirum esse potest, quam Gentem integram, tamdiu profundissima coecitate detentam, tam pervicacem, et in prava sua persuasione obfirmatam, tandem posito densissimo velamine, mentibus ipsorum oppanso, ad lucem veritatis maxima promptitudine advocandam?

Superest alterum, quod majorem fortasse operam poscit. Agglomerant siquidem, et hinc inde excerpunt oracula Prophetarum, quibus, ut nostris auctoribus videtur, praedicuntur res gerendae per Hebraeos a conversione sua. Asserunt enim ex dictis Prophetarum constare, Hebraeam Nationem post ipsius ad Christi Fidem reductionem, ita fervido, et eximio erga Deum famulatu futuram, ut ejusdem cultum per omnem, qua late patet, Orbem, instituat, aut reparet: Magnamque populorum vim et multitudinem, quae numquam antea

Evan-

Evangelio aures praebuerat, ipsorum opera Christo credituram,

Sed in eo primum, ut superius ostendimus, et secum, et cum Apostolo confligunt. Apostolus enim vult tunc Israelem salvandum fore, cum in Ecclesiam intrarit *plenitudo Gentium*. At isti comminiscuntur gentium plenitudinem opera Judaeorum efficiendam.

Deinde oracula Prophetarum admodum prave ab illis exponuntur, cum detorqueantur a proprio et nativo sensu, in alium prorsus alienum. Illa enim oracula intelliguntur de Apostolis, qui ex Judaeis prognati erant, quique ad gentes convertendas perrexerunt: necnon de ipsorum successoribus, qui opus ab illis incoeptum propagarunt. Quam in rem apte quadrat illud Ps. 44. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi Filii: constitues eos Principes super omnem terram*. Quo in sensu Sanctos Patres, universosque pene, praecipue veteres, Sacrae Scripturae Interpretes consentientes habemus.

Deinde cur reformidant spiritualem Israelem, idest Ecclesiam, in illis ipsis locis intelligere, quod non modo sana ratio (*a*), sed etiam Sancti Patres (*b*), quin et

 ipsa

(*a*) Certe id ratio, et consuetudo hominum suadet. Quippe si quis in alterius familiam et haereditatem transfertur, solet et ejusdem cognomen mutuari, ut patet praesertim in adoptionibus. Et ne ab Apostoli exemplo recedamus (qui arboris per insitionem alteri agglutinatur, sicut ex hujus succo trahit vitam, ita et nomen. Nam

Et saepe alterius ramos impune videmus
Vertere in alterius, mutatamque insita mala.

ipsa Sac. Scriptura tum veteris, tum novi Testamenti (*c*) necessario intelligendum esse indicant? Hoc pacto omnia aptissimè concinent; nam illa quae ipsi in Hebraeos detorquent, in Israelitas secundum *spiritum*, idest Christianos mirifice convenient: quippe hi omni tempore non destitere conversionem gentium paganarum procurare, ac promovere, ut ex historiae Ecclesiasticae monumentis constat apertissimè. Et tanto magis deberent Adversarii in hunc sensum confugere, atque hüc se tutos recipere; quod in illis ipsis locis non pauca reperiantur, quae illis sunt adversa, ut videre est in nota subjecta (*d*).

Sed

SS. PP. et Doctoribus, praesertim *S. Augustino*: qui hoc principio usi, universa fere quae de Hebraeis dicuntur, Christianis attribuunt.

(*c*) Patet primo ex verbis S. *Jo. Baptistae*, sic alloquentis Pharisaeos, quos prius appellarat progenies viperarum: *Ne velitis*, inquit, *dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare Filios Abrahae*. Sequitur hac in re disertissimus *D. Paulus*, qui passim in suis epistolis secernit Israelem secundum *carnem* ab Israele secundum *spiritum*. Unum aut alterum indicabimus. Quorum primum extat ad Rom. 9.: *Non omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitae: neque qui semen sunt Abrahae, omnes Filii .... idest, non qui Filii carnis, ii Filii Dei; sed qui Filii sunt promissionis aestimantur in semine*. Item ad Galat: 3. vers. 29. *Si autem vos Christi: ergo semen Abrahae estis, secundum promissionis haeredes*. Quod iterum cap. 4. exemplo duorum Abrahae filiorum *Ismaelis*, et *Isaac* confirmat: ac denique concludit: *Nos autem Fratres secundum Isaac promissionis Filii sumus ..... Itaque non sumus ancillae Filii, sed liberae*.

(*d*) Unum, aut alterum hic, speciminis caussa, exhibemus. Statuunt

ni-

Sed illi rursus, ut suas opiniones tueantur quosdam veluti Canones statuunt, qui etiamsi veri essent, in ipsorum opinionem non quadrant: quippe rei veritas longe se habet. Quodque ipsorum jugulum petit, quaedam Prophetarum oracula ab ipsis pro sua opinione statuenda in medium adducuntur, contra expressam Apostolorum mentem, qui ea, occasione data, interpretati ſunt de primo Christi adventu, ut est illud Act. Apost. XV. vers. 13., et seq., quod ab *Amoso* Propheta olim editum sic exponitur a S. Jacobo Fratre Domini: *Viri fratres audite me. Simon narravit quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo. Et huic* con-

inter alia: *Promissiones Judaeis factas post Gentium vocationem, respicere novissimam illorum conversionem.* Putant se id invicte probare ex Is. XI., ubi cum v. 10. Proph. dixisset: *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabantur*; statim subdit. v. 11. *et erit in die illa: Adjiciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui etc.* Quoniam nolunt nobiscum agnoscere, Prophetae idem prorsus amplissimum objectum, idemque tempus obversatum v. 10. 11. etc. (per summam quidem injuriam; cum etiam Oratores, et Poetas summa branda, saepius immorari, praecipue si eximia sit et praestantissima:) rogamus tantisper Adversarios, ut explanent quinam futuri sint illi *Philisthiim* (*v.* 14.) *super* quorum *humeros* Hebraei *volabunt per mare?* Si nobis id exponant, eos in rectam semitam revocabimus.

Similiter labuntur, dum loquentes de Judaici populi caecitate, ejusque curatione, Prophetam eumdem inducunt, quasi eodem tenore, eodemque tempore, eademque occasione de utraque cap. 6. et 8. loqunetem: cum, ut cetera mittamus, primum oraculum editum sit *in anno, quo mortuus est Rex Ozias*: alterum

concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est. Post haec revertar, et reaedificabo tabernaculum David, quod decidit: et diruta ejus reaedificabo, et erigam illud, ut requirant ceteri hominum Dominum, et omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens haec. Notum a ſeculo est Domino opus suum. Istud oraculum prostat Cap. IX. vers. 11.; Prophet. *Amos*, quod clarissime explicat S. Apostolus de Gentium conversione facta aevo Apostolorum. Et tamen novelli Scriptores nostri inter alia, quae congerunt, Sacrorum Vatum oracula; nec istud silentio praeterire voluerunt, quo fortius ſuas imaginationes corroborarent. In idem absurdum incidunt, dum illud Zachariae Prophetae XIII. vers. 10. *aspicient ad me, quem confixerunt*, quod a S. Joanne Evang. Cap. XIX. vers. 37. impletum jam dicitur; in extrema illa tempora conferunt. Sed quid plura? si etiam Oraculum ejusd. Proph. Cap. IX. Vers. 9.: *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: ecce Rex tuus veniet tibi justus et Salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinae*: quod manifestissime impletum esse in Christo Domino Jerosolimam adventante, etiam S. *Matth.* Cap. XVI. vers. 5. testatur; iidem ad futura illa tempora transferunt, et suo loco per vim dimovent? Hi sunt Canones, quos illi statuunt, et quidem praeter mentem Prophetarum.

Loco harum regularum sequentes nos illis proponemus. I. Ne dicta Prophetarum, quae ab Apoſtolis in novo Teſtamento jam impleta fuisse dicuntur, ea ad futura tempora detorqueant. II. Ut ex vaticiniis a Scriptoribus novi Testamenti explicatis, normam sumant ad sensum aliorum similium deprehendendum. III. Ne dedignen-

gnentur spiritualem Israelem, nimirum Ecclesiam Christi ex universis gentibus conflatam, in Prophetis agnoscere. Sic enim et Patribus, et Scripturae, et Apostolis ipsis conformes erunt. IV. Ne velint ex obscuris et ambiguis aliquid, praesertim futurum, affirmare; et quod pejus est, perspicua et certa, per obscura et ambigua labefactare. Si has Regulas tenuerint, desinent tandem, ut confidimus, de contingentibus futuris, ne quid gravius dicam, hariolari.



APPROBATIONES.

LIbrum, qui inscribitur: *Theologicae Theses de Messiae Regno* mandante Rm̃o P. Fr. Thoma Maria Mamachio Magistro S. P. A. diligenter legi, visusque est mihi tum quoad Fidei Catholicae dogmata, tum quoad Christianorum morum regulas, omni mendo prorsus immunis. Dotes vero, characteresque sempiterni illius Messiae Regni, isque erat doctissimi Authoris scopus, adeo dilucide, polite, nervoseque ob oculos ponit, ut nihil supra desiderari posse videatur. Quamobrem dignissimum eum censeo qui ad Religionis bonum in publicam emittatur lucem. Dabam in aedibus S. Callisti die XXX. Martii anno MDCCLXXXIV.

P. A. Galletti Episcopus Cyrenensis.

REm̃i Patris Fr. Thomae M. Mamachii Sacri Palatii Apostolici Magistri jussis obtemperaturus attente perlegi Theologicam elucubrationem, cui titulus: *de Messiae Regno*; in qua plane nihil cenſura notandum inveni, immo vero omnia catholice, ornate, sapienterque conſcripta sum admiratus; ideoque hanc ipsam typis publicis dignam cenſeo. Datum ex Collegio Germanico prid. Kal. Aprilis MDCCLXXXIV.

Johannes Castillioneus
Majoris Praesid. Abbreviator, Sacr. Indicis Cong. Consult. Apostol. Poenitent. Decretorum Doctor, et Colleg. Germanici Pro-Praeses.